This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ga
110
913

Ga 110.913

Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

11 Dec. 1891.

SCHOLIA

IN

ARISTOPHANIS LYSISTRATAM

EDIDIT

PROLEGOMENA DE FONTIBUS SCHOLIORUM

SCRIPSIT

GUSTAVUS STEIN

PHIL. DR.

GOTTINGAE.

APUD DIETERICH (L. HORSTMANN).

MDCCCXCI.

Gall 0.913



Salisbury fund.

PARENTUM MEMORIAE

S.

DE FONTIBUS SCHOLIORUM IN ARISTOPHANIS LYSISTRATAM COMMENTATIO.

Otto Schneider in dissertatione quam scripsit ‚de veterum in Aristophanem scholiorum fontibus' (Sundiae 1838) demonstravit, ‚*Symmachi* commentarium Aristophaneum praecipuum fuisse nostrorum scholiorum fontem, veterum autem inter ea scholiorum *unicum*'. Symmachi autem nomen quamquam non adnotatur in scholiis in *Lysistratam* conscriptis, tamen hanc fabulam in illius commentario non fuisse neglectam facile efficitur. Primum enim duobus in locis respiciuntur ea, quae ad duas antea tractatas fabulas commentator exposuerat. Sunt schol. 801: *Δύο Μυρωνίδαι ἦσαν, ὡς ἐν Ἐκκλησιαζούσαις δεδήλωται.* Respicitur schol. Eccl. 303, ubi paululum doctrinae Symmachianae adhuc servatum est. Deinde schol. 722: *δεδήλωται δὲ περὶ τούτου καὶ ἐν Ὀλκάσι.* Neque vero fabulam neque scholia in manibus tenemus. Ita autem citandi morem fuisse Symmachi vidit Schneider; et duo hi loci satisfaciunt eius coniecturae.

Accedunt ex scholiis Lysistrateis compluria, quae eodem modo tractant eandem rem, atque ad quosdam ceterarum fabularum locos Symmachus adnotaverat. Etenim conferas:

schol. Lys.	2:	cum scholl.	Nub. 52, Thesm. 130	schol. Lys.	490:	—	Av. 1556
—	58:	—	Vesp. 1223	—	558:	—	Vesp. 9
—	155:	—	Vesp. 714	—	619:	—	Vesp. 502
—	184:	—	Ach. 54	—	643:	—	Plut. 77
—	388:	—	Av. 874. Vesp. 9	—	690:	—	Equ. 41
—	443:	—	Plut. 594. Ran. 1356	—	694:	—	Pac. 130
—	453:	—	Ach. 1074	—	913:	—	Av. 1694. Vesp. 857
—	485:	—	Ran. 78	—	928:	—	Ran. 63. 107
				—	1131:	—	Nub. 623.

Praeterea eaedem inveniuntur *glossae* in scholiis his:

schol. Lys. 17: schol. Nub. 509
— 89: — Ach. 861. 874
— 107: — Ach. 668
— 229: — Nub. 151. Eccl. 319
— 330: — Plut. 330
— 364: — Pac. 63
— 367: — Av. 26
— 376: — Eccl. 126
— 377: — Ach. 17
— 384: — Equ. 114
— 448: — Pac. 63. cf. Lys. 364
schol. Lys. 457: — Plut. 427
— 475: — Equ. 794
— 477: — Vesp. 4
— 549: — Equ. 422. Ach. 49
— 556: — Ach. 625. 720. 750
— 632: — Ran. 765
— 931: — Thesm. 139
— 947: — Ach. 1051
— 1032: — Nub. 157. Av. 245
— 1073: — Vesp. 844
— 1164: — Av. 530.

Haec igitur scholia omnia fluxerunt e Symmachi commentario. Eidem tribuenda sunt scholia vetere doctrina insignia, cum ea quae rerum antiquarum servant memoriam, sive de fabulis, sive de rebus in bello gestis, sive de re publica Attica, sive de personis ab Aristophane derisis agunt, tum quae locos citant ex poetis vel epicis (Homero, Euphorione) vel tragicis (Aeschylo, Sophocle, Euripide) vel comicis (Cratino, Eupoli, Pherecrate aliis), id quod mihi quidem in universum vetustatis testimonium videtur esse. Talia autem non pauca extant in scholiis in Lysistratam, quae ideo habenda sunt vetera. Atque per se consentaneum non est, post Symmachi aetatem (vixit c. a. 100. p. Chr. n.) ad huius commentarium fabulae, quam in Symmachi canone ultimam fuisse Schneider et Wilamowitz[1]) docuerunt, Byzantinos aliosque multa addidisse. Herodiano (cf. schol. Lys. 995) Symmachus certe usus non est[2]); neque scholium 651—53 (cf. editionem) propter errorem, quem postea demonstrabimus, a vetere homine grammatico conscriptum esse censeo. At de reliquis scholiis utrum e veteribus commentariis fluxerint an additamenta posteriora sint habenda, diiudicare non audeo.

Symmachus autem ipse percensuit, compilavit atque in unum congessit varia commentaria, quorum vestigia in scholiis in Lysistratam fere evanuerunt. Commentariorum autem auctores unde doctrinam hauserint inquisivi atque interdum ad lucem pervenisse mihi videor. Iam in has intremus quaestiones atque primum quidem agamus de fontibus scholiorum eorum quae res ad historiae fidem tractant.

[1]) ille p. 42, hic in Heracl. I p. 180.
[2]) cf. Heracl. I p. 180.

I.

In nonnullis scholiis historicis scholiastes ipse quos secutus sit auctores nominat. Atque videmus, ad enarrandas res eas, quae ante bellum Peloponnesiacum gestae sint, exscriptos esse *Herodotum* (619), *Thucydidem* (619), *Aristotelis πολιτείαν Ἀθηναίων* (665 et 666, 1153), *Philochorum* (1138); ad res autem in bello ipso gestas *Philochorum* (173, 1094), *Thucydidem* (1094), denique *Craterum* (313), ubi de decreto agitur. Praeterea laudantur *Βοιωτιακὰ Hellanici;* ex Atthide eiusdem quippe cuius nusquam in scholiis in Lysistratam mentio fiat, nil his inesse censeo; quamquam ad alias commemoratur fabulas, cf. scholl. Ran. 694, 720. Postremo *Neanthis* nomen affertur (808) idque de Timone Misanthropo qui dicitur; et quantum iudicare possum, haec sumpta sunt ex illius libro *περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν.*

Hi nominantur, neque censeo in reliquis scholiis in quibus rerum gestarum narratio fiat exscriptos esse auctores, qui illorum in numero non sint.

Imprimis autem statuendum est, Herodotum et Thucydidem praeter eos quos enumeravi locos nullis esse compilatos. Restant Philochori Atthis, Aristotelis *πολιτεῖαι*, *Crateri ψηφισμάτων συναγωγή.* Qua ex sylloge hausit Didymus (313), quem deinde exscripsit Symmachus. Ultima autem verba scholii 313 cum conferas cum scholii 273:

273:

τῶν δὲ μετὰ Κλεομένους Ἐλευσῖνα καταλαβόντων, Ἀθηναῖοι τὰς οὐσίας ἐδήμευσαν καὶ τὰς οἰκίας κατέσκαψαν, αὐτῶν δὲ θάνατον ἐψηφίσαντο. καὶ ἀναγράψαντες ἐν στήλῃ χαλκῇ ἔστησαν ἐν πόλει παρὰ τὸν ἀρχαῖον νεών

313:

ὥστε ἐψηφίσατο κατ' αὐτοῦ ὁ δῆμος, δημόσια εἶναι τὰ Φρυνίχου χρήματα καὶ τῆς θεοῦ τὸ δέκατον μέρος, καὶ τὴν οἰκίαν κατεσκάφθαι αὐτοῦ. καὶ ἄλλα πολλὰ κατ' αὐτοῦ ἔγραψεν ἐν στήλῃ χαλκῇ,

non dubitabis quin recte Wilamowitz (Kydathen p. 71) iidem illi inscriptionum corpori schol. 273 tribuerit. Praeterea nil est in scholiis in Lysistratam, quod suum vindicet Craterus, compluria autem Philochorus.

Sed praemonendum est unum. Etenim *Ister* commemoratur in scholio 642, quod manifesto genus trahit ex libro eius, quem conscripsit ex omnibus Atthidographorum qui dicuntur de rebus

Atticis operibus. Quorum certe nobilissimus erat Philochorus; atque cum fieri possit, ut illa ipsa de *ἐρσεφορίᾳ* Ister sumpserit e Philochori Atthide, in universum dici necesse est nos ignorare, scholiastes ubicunque Philochoro se uti dicat, utrum ex ipso hauserit Atthidographo an ex Istro. Equidem enim non censeo, Istrum fabulas tantum antiquitatesque Atticas ex illis excerpsisse, propterea quod inter eius *Ἀτθίδων συναγωγῆς* fragmenta nullum exstat historicum; immo prorsus sequor Wellmannum (de Istro Callimachio, Gryphisw. 1886), qui p. 11 quid de hac re iudicandum sit recte exposuit.

Aliquomodo autem haec quam de Philochoro protuli sententia confirmatur scholio 1138: *ταῦτα καὶ οἱ συντεταχότες τὰς Ἀτθίδας ἱστοροῦσιν περὶ τῶν Λακεδαιμονίων· ὁ δὲ Φιλόχορός φησι καὶ τὴν ἡγεμονίαν τοὺς Ἀθηναίους λαβεῖν διὰ τὰς κατασχούσας τὴν Λακεδαίμονα συμφοράς.* Afferuntur omnes Atthidographi, effertur Philochorus; incertum autem est, evolveritne scholiastes vel unum ex eis ipsum, id quod mihi quidem minus probatur, an compilatorem, i. e. Istrum. At haec cum non plane comprobata sit sententia, iis quae Philochori esse puto, huius tamquam fontis nomen subscribam, non Istri. Censeo autem ad eum referenda esse haec.

Conferas

Strab. IX p. 601 (339) = Philoch. fr. 35 M.

οἵ τε τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες πολλὰ διαφωνοῦντες, τοῦτό γε ὁμολογοῦσιν, οἵ γε λόγου ἄξιοι, ὅτι, τῶν Πανδιονιδῶν τεσσάρων ὄντων, Αἰγέως τε καὶ Λύκου καὶ Πάλλαντος καὶ τοῦ τετάρτου Νίσου, καὶ τῆς Ἀττικῆς εἰς τέτταρα μέρη διαιρεθείσης, ὁ Νῖσος τὴν Μεγαρίδα λάχοι καὶ κτίσαι τὴν Νισαίαν. Φιλόχορος μὲν οὖν ἀπὸ Ἰσθμοῦ μέχρι τοῦ Πυθίου διήκειν αὐτοῦ φησι τὴν ἀρχήν, Ἄνδρων δὲ μέχρι Ἐλευσῖνος καὶ τοῦ Θριασίου πεδίου.

schol. Lys. 58:

Ἀλλ' οὐδὲ παράλων: τῶν ἐν παράλῳ οἰκουσῶν. Παραλία γὰρ μοῖρα τῆς Ἀττικῆς. διῄρητο γὰρ εἰς δ' μερίδας τὸ παλαιὸν ἡ Ἀττική. Πανδίων γὰρ διαδεξάμενος τὴν Κέκροπος βασιλείαν, προσκτησάμενος δὲ καὶ τὴν Μεγαρίδα, ἔνειμε τὴν χώραν τοῖς παισὶν εἰς δ' μοίρας. Αἰγεῖ μὲν τὴν παρὰ τὸ ἄστυ μέχρι Πυθίου, Πάλλαντι δὲ τὴν Παραλίαν, Λύκῳ δὲ τὴν Διακρίαν, Νίσῳ δὲ τὴν Μεγαρίδα.

Manifesto scholiastes hausit ex *Philochoro,* idque ex Atthidos libro altero, in quo, ut Boeckh demonstravit, res a Cecrope usque ad Creontem archontem gestae enarrabantur. Mueller

autem (ad Philoch. fr. 35) unde sciat, Pythion situm fuisse in confinibus Atticae, Boeotiae, Megarae, plane nescio. Immo ex collatione Strabonis cum scholio sequitur, templum exstitisse aliquo loco inter Athenas et Eleusina. Pausanias autem I 37, 4 Pythii cuiusdam in via Sacra siti mentionem facit, quod in faucibus fuisse montibus Poecilo et Corydalo contentis eodem loco quo nunc ruinae servantur monasterii quod dicebatur Daphni, homines docti[1]) iamdudum cognoverunt. Quod ad Pythium etiam Philochorum spectasse veri est simillimum.

Ad proximum versum (59) in codice Leidensi leguntur haec: *ἡ γὰρ Σαλαμὶς μοῖρα τῆς Μεγαρίδος.* At quid, obsecro, haec ad rem! Quasi quo comoedia acta est tempore Salamis insula in potestate Atheniensium non fuisset. Tamen autoschediasma scholiastae esse non censuerim illud, quod quomodo ei in mentem venerit nescio. Iam perlustremus, quibus imperiis Salaminii per aetates oboediverint. Scimus autem, saeculo a. Chr. n. sexto per aliquantum temporis insulam in potestate fuisse Megarensium. Tum bello eam receperunt Athenienses, quorum deinde semper fuit exceptis annis 316—229. Vetustissimis autem temporibus quibus reges in Attica traduntur regnasse, manifesto Salamis penes Athenienses erat quoad Megara, i. e. ante invasionem Doriorum. In scholio ad v. 58 de hoc ipso quo reges dominabantur tempore agitur; neque ad aliam aetatem schol. 59 spectare potest. Coniungendum igitur est schol. 59 cum schol. 58 et iidem *Philochoro* dandum. Accedit quod in poetae verbis ne minima quidem continetur necessitudo inter Salaminios et Megarenses. At scholiasta cum legeret in Atthidographo, Nisum accepisse Megaram a Pandione patre, Salamina autem partem fuisse Megaridis, illud ad v. 58 commentario addidit, hoc ad v. 59, in quo insula commemoratur.

Deinde Philochorus laudatur in schol. 1138, in quo agitur de Cimone bello Messeniaco tertio Lacedaemoniis auxilio accurrente. Eandam rem tractat schol. 1144: *Κίμων, μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην ιβ' ἔτει ὕστερον. ταῦτα ἦν ἐπὶ Θεαγενίδου. καὶ γὰρ τοῦ*

[1]) cf. L. Stephani, Reise durch einige Gegenden des nördlichen Griechenlands p. 79 sqq.

Ταϋγέτου τι παρερράγη ὑπὸ τῶν σεισμῶν καὶ τὸ ᾠδεῖον καὶ ἱερὰ καὶ οἰκίαι πλεῖσται, καὶ Μεσσήνιοι ἀποστάντες ἐπολέμουν καὶ οἱ εἵλωτες ἐπέστησαν, ἕως Κίμων ἐλθὼν διὰ τὴν ἱκετηρίαν ἔσωσεν αὐτούς. Quae ex eadem *Philochori* narratione hausta esse manifestum est[1]).

Schol. 619. Ad priorem scholii partem conferas

schol. Vesp. 502:

Χαλεπὴ γὰρ ἡ Ἱππίου τυραννὶς ἐδόκει γεγονέναι, πολὺ τῆς τοῦ πατρὸς Πεισιστράτου χείρων. Μνημονεύει δὲ αὐτοῦ καὶ ἐν Λυσιστράτῃ. Εἰκότως δὲ τεσσάρων ὄντων κατ' ἐνίους τῶν Πεισιστρατιδῶν, τὸν Ἱππίαν (*μόνον* add e schol. Lys.) *παρέλαβεν, πρεσβύτατος γὰρ ἦν οὗτος* [codd. *αὐτός*, corr. Toepffer e schol. Lys.], *καὶ τὴν τυραννίδα εἶχε, καθὰ καὶ Θουκυδίδης φησί. δοκεῖ δὲ ἡ τυραννὶς καταστῆναι, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης, ἐπὶ ἔτη ν', τοῦ ἀκριβοῦς διαμαρτάνων, Ἀριστοτέλους μὲν τετταράκοντα καὶ ἓν φήσαντος, Ἡροδότου δὲ ἓξ καὶ τριάκοντα.*

Lys. 619:

Τεσσάρων ὄντων τῶν Πεισιστρατιδῶν, εἰκότως τοῦ Ἱππίου μόνου ἐμνημόνευσεν. πρεσβύτατος γὰρ ἦν οὗτος τῶν ἄλλων καὶ τὴν τυραννίδα ὑπέθετο, καθάπερ Θουκυδίδης [II 55] *φησί.*

κατέσχε δὲ ἡ τυραννὶς ἐπὶ ἔτη γ', οἱ δὲ δ', Ἡρόδοτος δὲ ς'.

Duo haec scholia et schol. Ach. 284 supra diximus ex eodem fluxisse commentario, cuius auctor (Didymus?) aut ipse doctus varios evolvit scriptores aut unum nescio quem compilatorem. Demonstravit autem Toepffer (quaestiones Pisistrateae, Dorpat 1886 p. 130 Adn. 1), in scholio ad Vespas numeros, qui adversus scholium Lys. pugnant, prorsus suis exstare locis. Itaque non dubito, cum Dindorfio (cf. etiam Duebneri adn. ad schol. Vesp. 502) et Toepffero emendare *κατέσχε δὲ ἡ τυραννὶς ἐπὶ ἔτη ν'* (secundum *Eratosthenem*), *οἱ δὲ μά'* (ex *Aristotele*), *Ἡρόδοτος δὲ λς'*. De Eratosthenis opere chronographico, non *περὶ κωμῳδίας* hoc loco cogitandum esse, monuit me Wilamowitz. Aristotelis sine dubio est liber de *πολιτείᾳ Ἀθηναίων* conscriptus, ut in scholl. Ach. 234, Lys. 665 et 666, 1153. Cui fortasse debentur etiam quae in fine scholii extant (*οὗτος τύραννος ἦν, ὃς ἐποίησε τοὺς Ἀθηναίους*

[1]) cf. etiam Holzapfel. Unters. z. griech. Geschichte der Jahre 489—413, p. 169.

κατωνάκας φορεῖν, ὅπως μὴ δυνηθῶσιν προενεγκεῖν τὰς χεῖρας. τοῦτον δὲ κατέλυσαν οἱ Λακεδαιμόνιοι), cf. 1153[1]); iidem debetur fortasse notities numeri quatuor Pisistratidarum; etenim Thucydides (I 20, II 54) tres tantum filios tyranni commemorat, tres autem et *Ἡγησίστρατον νόθον* Herodotus (V 94).

Iam transeamus ad investigandos fontes scholiorum eorum, quae res in bello ipso gestas tradunt. Atque cum circumspiciamus, quos auctores ipse nominaverit scholiastes, in oculos cadit *Philochorus*, ex quo hausit 173, Archia archonte primum pecuniam desumptam esse ex thesauro illo mille talentorum, Athenae qui vocabatur, in arce servato. Deinde ad versum 1094 scholiasta adhibuit *Philochorum* et *Thucydidem;* praeter hos auctores afferuntur nulli; atque de quibus agimus scholiorum ea, quae nec Thucydidis sunt neque de suo scholiasten conscripsisse manifestum est, nostro iure tribuimus Philochoro; dico autem scholia 421 et 409:

421: *πρόβουλοι πρὸς τοῖς δέκα ἠρέθησαν ἄλλοι κ', εἰσηγησόμενοι τὰ δοκοῦντα τοῖς κ' τοῖς ἐκ τῆς συναρχίας. οὐ γὰρ βέλτιστα τῇ πολιτείᾳ μετὰ τὴν ἐν τῇ ἑστιν εἷς πρόβουλος. Σικελίᾳ συμφοράν.*

409: *τοῖς προβούλοις: τοῖς ἄλλοις δηλονότι*

Quod ad rem attinet, ex Thucydide (VIII 1) comperimus, post cladem Siciliensem decem probulos esse electos (a. 413). Idem autem VIII 67 narrat, antequam quadringenti illi constituerentur, iterum decem conscriptores ad optime administrandam rempublicam creatos esse. Quem locum Harpocratio s. v. *συγγραφεῖς* adfert; corrigit autem Thucydidem, cum pergat: *ἦσαν δὲ οἱ μὲν πάντες συγγραφεῖς λ' οἱ τότε αἱρεθέντες, καθά φησιν Ἀνδροτίων τε καὶ Φιλόχορος, ἑκάτερος ἐν τῇ Ἀτθίδι· ὁ δὲ Θουκυδίδης τῶν ι' ἐμνημόνευσε μόνων τῶν προβούλων.* Haec verba nostram confir-

---

1) Addo eandem rem commemorasse *Theopompum*, cf. Moeridem p. 201, 6 (Bk) v. *κατωνάκη*: *τοῖς εἰς χρόνον φεύγουσιν ἔτε κατίοιεν νάκους τι τοῖς ἱματίοις προσερράπτετο, ὡς καὶ Θεόπομπος „ἠναγκάσθησαν δὲ ὑπὸ τῶν τυράννων, ἵνα μὴ κατίωσιν εἰς ἄστυ, κατωνάκην φορεῖν“*. Ex hoc autem auctore scholium originem ducere non credo.

mant coniecturam prolatam de auctore, quem scholiasta exscripserit[1]).

Omisimus disserere de scholiis 107, 338, 996, 1137, 1152, 1181, 1251; at quae ibi leguntur, ex ipso poeta hausta sunt, neglexitque scholiasta alius advocare doctrinam.

Pauca autem verba facere liceat de scholio 651: *ἐγένετο δὲ ἐπὶ τῶν Μηδικῶν ψήφισμα, ὥστε ἕκαστον κατὰ δύναμιν συμβάλλεσθαι εἰς τὰ κοινὰ χρήματα, ἅπερ ἔταξεν Ἀριστείδης δοῦναι τοῖς συμμάχοις, εἰ ἐπὶ τοὺς βαρβάρους πολεμοῖεν.*

Scimus omnes tale decretum nunquam esse factum, neque difficulter scholiastae ratio perspicitur. Aristophanis enim quos commentatur scholiasta versus sunt hi (651—655):

τοὐράνου γάρ μοι μέτεστι· καὶ γὰρ ἄνδρας εἰσφέρω,
τοῖς δὲ δυστήνοις γέρουσιν οὐ μέτεσθ' ὑμῖν, ἐπεὶ
τὸν ἔρανον τὸν λεγόμενον παππῷον ἐκ τῶν Μηδικῶν
εἶτ' ἀναλώσαντες οὐκ ἀντεισφέρετε τὰς εἰσφοράς,
ἀλλ' ὑφ' ὑμῶν διαλυθῆναι προσέτι κινδυνεύομεν.

Scholiasta autem sciebat, confecto Persarum bello Aristidem apud socios Atheniensium circumiisse et cuiusque civitatis praefinivisse tributum. Hoc commentator commiscuit cum illo, quod in fabula Lysistrata civibus opprobrio obvertit, et in unum contraxit. Evasit scholium ineptum.

---

[1]) At res tractata est difficillima et ea, de qua homines docti non consentiant. Cf. Schoell. in commentatt. Mommsen. p. 451, qui mendum in scholio 421 egregie correxit (vide editionem), et Gilbert., Beiträge zur inneren Geschichte Athens im Zeitalter des pericleischen Krieges, p. 305, ibique adn. 6 sententias hominum doctorum. Inter quos controversia imprimis de duabus his versatur quaestionibus, primum, num vocibus ‚*ξυγγραφεὺς*' et ‚*πρόβουλος*' idem designetur magistratus, deinde an scholiasta trigintaviros a. 403 electos transtulerit in a. 412, cum mutaret cum decem illis tunc constitutis quos Thucydides (VIII 67) adfert. Huius loci non est rem accuratius tractare; hoc tantum dico: mihi constat, scholiasten ex Philochoro haurire; eodem autem Philochoro et insuper Androtione usus est auctor quem Harpocratio exscripsit quique scholiastes noster quidem esse non videtur. Hunc autem auctorem in eundem quo commentator incidisse errorem cum mirum sit, nil mihi persuadere possum, nisi et Androtionem et Philochorum narrasse, anno 412 triginta conscriptores electos esse. Erraverunt igitur aut hi aut Thucydides. Atque si verum tradidit Philochorus, ex scholio sequitur, ut in trigintavirorum numero fuerint probuli anno 413 creati; aut, id quod mihi quidem minus probatur, scholiasta falso exscripsit Philochorum.

De suo composuit scholiasta etiam 675: *Ἀρτεμισία Λυγδάμιδος θυγάτηρ. αὕτη συνεμάχησε Ξέρξῃ καθ' Ἑλλάδος καὶ ἱκανῶς ἠνδραγάθησεν. ἦν δὲ τὸ γένος Ἐφεσία.* Etenim erravit, cum contendat, Artemisiam esse Ephesiam, pro Halicarnassensi[1]).

Seriem scholiorum historicorum finiat schol. 453:

Παρὰ ταῖς γυναιξὶν ὑπάρχουσι δ' λόχοι. τοῦτο δέ φησιν, ὅτι καὶ παρὰ Λακεδαιμονίοις τέσσαρες ὑπάρχουσι λόχοι, οἷς κέχρηται ὁ βασιλεύς.

Haec pendent a schol. Ach. 1074 (unde Suidas s. v. *λόχος*), cuius auctor numerum quatuor lochorum e Lysistrata sibi finxit. Poetam autem corrigit scholiastes alter, doctior et diligentior, his: *τέσσαρες λόχοι: ἀργότερον τὰ Λακώνων ἔοικεν ἐξειργάσθαι ὁ ποιητής. λόχοι γὰρ οὐκ εἰσι τέσσαρες ἐν Λακεδαιμονίᾳ, ἀλλὰ ε', Ἔδωλος, Σίνις, Ἀρίμας, Πλόας, Μεσσοάγης. ὁ δὲ Θουκυδίδης* (V 68) *ζ' φησί, χωρὶς τῶν Σκιριτῶν.* Quaerendum autem est, unde correxerit.

Leguntur in Hesychii et Photii lexicis haec:

Hes.:	Phot.:
λόχοι: Λακεδαιμονίων φησὶν Ἀριστοφάνης δ'. (οὐκ εὖ)[2]), ε' γάρ εἰσιν, ὡς φησιν Ἀριστοτέλης.	*λόχοι: Λακεδαιμονίων δ', ὡς Ἀριστοφάνης, Θουκυδίδης ε', Ἀριστοτέλης ἑπτά.*

Videmus Hesychium scholiumque Lysistrateum in numeris lochorum definiendis recedere a Photio. Ubinam mendum lateat, facile intelleges, cum respexeris haec. Scholiastes manifesto inspexit Thucydidis V 68; quamquam indiligenter; ex sua autem ratione non errat. Neque errat Hesychius quatuor apud Aristophanem lochos esse referens. His consideratis illis magis confides quam Photio; is autem falso adfert Thucydidis locum, cui *ε'* pro *ζ'* tribuit; itaque in Photio corrigi necesse est *Θουκυδίδης ζ', Ἀριστοτέλης ε'*, in quam emendationem etiam Stehfen[3]) incidit.

Ex Photio igitur et Hesychio colligimus, Aristotelem de quinque tantum Spartanorum lochis verba fecisse. Ab utroque autem lexicographo comparantur Aristophanes Aristoteles Thucydides eodem modo atque in scholio nostro; itaque concludo, utrumque exscripsisse scholiastam, qui ideo numerum quinque

---

[1]) Eum fortasse Dianae Ephesiae nomen decepisse coniecit Wilamowitz.

[2]) vel *οὐκ ὀρθῶς* inseruit M. Schmidt.

[3]) de Spartanorum re militari. Gryphisw. 1881, p. 8.

lochorum eorumque nomina *Aristoteli* debere censendus est idque eius de *πολιτείᾳ Λακεδαιμονίων* libro [1]).

II.

Historicis scholiis tractatis quaestionem movemus, unde fluxerint ea quae *antiquitates Atticas* contineant. Atque iterum proficiscendum est ab iis quae nomen auctoris prae se ferunt. Facit autem ad rem schol. 642:

Ἀρρηφόρουν: οἱ μὲν διὰ τοῦ α′, ἀρρηφορία, ἐπειδὴ τὰ ἄρρητα ἐν κίσταις ἔφερον τῇ θεῷ αἱ παρθένοι. οἱ δὲ διὰ τοῦ ε′, ἐρσεφορία. τῇ γὰρ Ἕρσῃ πομπεύουσι, τῇ Κέκροπος θυγατρί, ὡς ἱστορεῖ Ἴστρος.

Utrumque huius pompae nomen rediisse apud Istrum recte Wellmann l. c. p. 11 dixit.

Ad versum autem qui sequitur (643) scholium conferas cum iis, quae Eustathius in commentario in Odysseam conscripto p. 1885, 13 adnotat:

Eust.:

ὕστερον δὲ ὡς ἐν ῥητορικῷ εὕρηται λεξικῷ, ἀλετρίδες κόραι τινὲς Ἀθήνησιν ἀπεδείκνυντο, ἐφ' ᾧ τὰ εἰς θυσίαν πόπανα πωλεῖν. ἐν ἑτέρῳ δὲ αὖθις

schol. Lys. 643:

---

[1]) Valde igitur Aristoteles differt a Thucydide, ex quo, ut idem Stehfen p. 15 sqq. recte exposuit, illo tempore duodecim apud Spartanos lochos exstitisse colligendum est. Praeterea ab alio Aristotelis fragmento scholium discrepare videtur, quod servavit Harpocratio s. v. *μόραν*: — *συντάγματα Λακωνικὰ οὕτω καλεῖται. διείλεκται δὲ περὶ τούτων Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Λακεδαιμονίων πολιτείᾳ. φησὶ δὲ ὥς εἰσι μόραι ἓξ ὠνομασμέναι, καὶ διῄρηνται εἰς τὰς μόρας Λακεδαιμόνιοι πάντες. Ξενοφῶν δὲ ἐν τῇ Λακώνων πολιτείᾳ* (XI 4) *φησὶν „ἑκάστη δὲ τῶν πολιτικῶν μορῶν ἔχει πολέμαρχον ἕνα, λοχαγοὺς δ′, πεντηκοστύας η′, ἐνωμοτάρχας ις′“*. Stehfen igitur adnotavit: ‚Aristotelem quinque lochos sumpsisse, quod ab iis, quae Harpocration eodem auctore memoriae prodit, prorsus abhorret, aut omnino fictum aut verbis eius male intellectis ortum esse necesse est'. At ipse Stehfen exposuit, moras non prius constitutas esse quam exeunte bello Peloponnesiaco. Itaque Harpocratio ad nostrum scholium comparandus omnino non est. Neque scholiastam nomina lochorum adferentem Aristotelem male intellexisse persuadere mihi possum.

δηλοῦται, ὅτι ἀλετρίδες ἔντιμοι καὶ εὐδόκιμοι παρθένοι (γίνονται)[1]), αἱ τὰ εἰς θυσίαν πόπανα ἄγουσαι. ἐφ' οἷς καὶ ἱερούς τινας μύλωνας ἀναγράφουσιν οἱ τὰ Ἀττικὰ συγγεγραφότες. Παυσανίας δὲ λέγει, ὅτι ἀλετρίδες αἱ τὸν ἱερὸν ἀλετὸν ἀλοῦσαι. ἠροῦντο δέ τινες παρθένοι, αἳ τὰ εἰς θυσίαν πόπανα ἤλουν, καὶ ἦσαν ἔντιμοι.

γίνονται δέ τινες τῶν εὖ γεγονυῶν ἀλητρίδες τῇ θεῷ, παρθένοι αἵτινες τὰ εἰς τὴν θυσίαν πόπανα ἀλοῦσιν. καὶ ἔστιν ἔντιμον τοῦτο. εἰσὶ δὲ καὶ ἱεροὶ μύλωνες.

cf. Hesychium s. v. ἀλετρίδες.

Ex scholio corrige in Eustathio v. 4. ἀλεῖν pro πωλεῖν, v. 6 et 7 αἳ — ἀλοῦσι pro αἱ — ἄγουσαι. Initium enuntiati Eustathius ut ipse dicit e lexico aliquo rhetorico, huius autem auctor ex eodem conscripsit fonte quo scholiastes, ut similitudo verborum docet, idque ἐκ τῶν τὰ Ἀττικὰ συγγεγραφότων. His autem verbis subaudiendus est aliquis, qui Atthidographos compilavit et librum ex iis conscripsit. Atque cum consideraverimus, Istrum ex illis composuisse Ἀττικά, eundemque ad versum qui antecedit (642) esse usurpatum, non dubitabimus, etiam schol. 643 tribuere Istro.

Eodem ex Istro fluxisse verisimile est frustulum illud quod schol. 646 legitur: ἐφόρουν δὲ καὶ λοπάδας τινὰς ὁλοχρύσους. schol. 647 autem sumpsit commentator ex Aristophane.

Quo in libro Ister de his rebus egerit dicere non possumus, cum omnino de indole Ἀττικῶν συναγωγῆς nil enucleetur ex perpaucis quae tradita habemus fragmentis.

E quibus unum ad quaestionem nostram facit, quod agit de Clepsydra fonte; extat autem in schol. Av. 1694: κρήνη ἐν ἀκροπόλει ἡ Κλεψύδρα, ἧς Ἴστρος ἐν τῇ ιβ' μέμνηται, τὰ παρὰ τοῖς συγγραφεῦσιν ἀναλεγόμενος. οὕτως δὲ ὠνόμασται, ἐπειδὴ ἀρχομένων τῶν ἐτησίων πληροῦται, πανομένων δὲ λήγει, ὁμοίως τῷ Νείλῳ, ὥσπερ καὶ τὴν ἐν Δήλῳ κρήνην ⟨φασί⟩[2]). εἰς ταύτην δέ φησιν ἡ-ματωμένην φιάλην πεσοῦσαν ὀφθῆναι ἐν τῷ Φαληρικῷ ἀπέχοντι σταδίους εἴκοσι. φασὶ δὲ αὐτὴν ἀπέραντον βάθος ἔχειν, τὸ δὲ ὕδωρ ἁλμυρόν.

Quibuscum conferas, quae ad Lysistratae v. 913 legimus. Quaestionem quidem criticam solvit Michaelis (‚Pausaniae descriptio

[1]) Supplevi e schol. Lys.

[2]) Addidi.

arcis Athenarum [2] 1880, p. 36, 16), atque legendum est sic: *ἐν τῇ ἀκροπόλει ἦν κρήνη ἡ Κλεψύδρα, πρότερον Ἐμπεδὼ λεγομένη· ὠνομάσθη δὲ Κλεψύδρα διὰ τὸ ποτὲ μὲν πλημμυρεῖν, ποτὲ δὲ ἐνδεῖν. ἔχει δὲ τὰς ῥύσεις ὑπὸ γῆν φερούσας εἰς τὸν Φαληρέων δῆμον.* cf. Suid. Phot. Hes.

Haec autem duo scholia non ita inter se comparata sunt, ut alterum ex altero fluxisse possit; sed utrumque ab eodem scholiasta eodem ex fonte conscriptum esse in propatulo est. Tertium igitur in scholiis in Lysistratam ex *Istri Ἀτθίδων ξυναγωγῇ* habemus certum fragmentum.

Denique quae de *ἱερομνήμοσι* ad 1131 et Nub. 623 (*λαχὼν Ὑπέρβολος: εἰς τὴν σύνοδον τῶν Ἀμφικτυόνων πεμφθῆναι εἰς τὴν Πυλαίαν. κατὰ πόλιν δ' ἔπεμπον τοὺς θύσοντας, καὶ συνεδρεύσοντας· καὶ ἦσαν οἱ πεμπόμενοι Πυλαγόραι καὶ ἱερομνήμονες. λέγουσι δ' ὅτι Πυλάδης πρῶτος ἐκρίθη ἐπὶ τῷ Κλυταιμνήστρας φόνῳ, καὶ ἐξ αὐτοῦ τοὔνομα σχεῖν τὸν τόπον. ἀπῆεσαν δὲ εἰς Δελφοὺς ἐπίσκοποι τῶν ἀναλισκομένων ἐν ταῖς θυσίαις.* [*ἱερομνήμονας ἔπεμπον εἰς Πυλαίαν καὶ Πυλαγόρας. . . . . καί εἰσιν οἷον ἱεροὶ γραμματεῖς. μνήμονας γὰρ τούτους ἐκάλουν. . .*][1]) scholiasta prodit, consentiunt cum Theopompo et Harpocratione s. v. *ἱερομνήμονες: . . . . οἱ πεμπόμενοι εἰς τὸ τῶν Ἀμφικτυόνων συνέδριον ἐξ ἑκάστης πόλεως τῶν τοῦ συνεδρίου μετεχουσῶν οὕτω καλοῦνται, ὡς σαφὲς ποιεῖ Θεόπομπος ἐν τῇ λ'.* cf. etiam Suidam s. v. *Πύλαι.*

III.

APOLLODOREA.

Apollodori *περὶ θεῶν* opus inspexit scholiastes, ut ipse testatur, ad v. 447, quod scholium nunc valde mutilatum locupletius servaverunt Suidas et Etymologicum Magnum p. 747, 51:

EM:	S:	schol. Lys.:
Ταυροπόλον: τὴν Ἄρτεμιν, ὅτι ὡς ταῦρος περίεισι πάντα.	*Ταυροπόλον: τὴν Ἄρτεμιν, ὅτι ὡς Ταῦρος περίεισι πάντα, ὡς Ἀπολλόδωρος. Ἴστρος δ' ἐν γ'*	*Ταυροπόλον: οὕτω τὴν Ἄρτεμιν ἐκάλουν. τὴν δὲ αἰτίαν Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ θεῶν ἐκτίθεται.*

[1]) Quae uncis inclusi, desunt in RV et ex parte a Byzantinis ex Harpocratione addita esse videntur.

ἢ ὅτι τὸν ὑπὸ Ποσειδῶνος ἐπιπεμφθέντα Ἱπολύτῳ ταῦρον ἐξοίστρησεν ἐπὶ πᾶσαν γῆν. ἢ ὅτι ἡ Ἰφιγένεια φυγοῦσα ἀπὸ Σκυθίας ἐν Ἀττικῇ ἱδρυσαμένη τὸ ἄγαλμα ταυροπόλον Ἄρτεμιν προσηγόρευσεν, ἐπειδὴ ἐκ τῶν Ταύρων τοῦ ἔθνους ἦλθεν. οἱ δὲ λέγουσιν, ὅτι τῶν Ἑλλήνων βουλομένων ἀνελεῖν τὴν Ἰφιγένειαν ἐν Αὐλίδι, ἡ Ἄρτεμις ἀντέδωκεν ἔλαφον. κατὰ δὲ Φανόδημον ἄρκτον. κατὰ δὲ Νίκανδρον ταῦρον. διὸ καὶ τὴν θεὸν οὐ ταυροπόλον, ἀλλὰ ταυροφόνον ὠνόμασαν.

Ἀτάκτων, ὅτι τὸν ὑπὸ Ποσειδῶνος ἐπιπεμφθέντα Ἱπολύτῳ ταῦρον ἐξοίστρησεν ἐπὶ πᾶσαν γῆν.

οἱ δὲ ὅτι ἔβαλε, διὸ καὶ ταυροβόλον. καὶ Ἀθηνᾶ δὲ ταυροβόλος ἐν Ἄνδρῳ· ὁ γὰρ Ἄνιος δοὺς ταῦρον τοῖς Ἀτρείδαις ἐκέλευσεν, ὅπου ἂν ἐκ τῆς νεὼς ἅλληται, ἱδρύσασθαι Ἀθηνᾶν, καὶ οὕτως εὐπλοήσειν. ὁ δ' ἐν Ἄνδρῳ ἐξήλατο.

ἔστι δ' ὅτε καὶ τὴν Ἀθηνᾶν οὕτω καλοῦσιν· ὡς Ξενομήδης ἱστορεῖ.

Omnem igitur de Diana *Ταυροπόλῳ* quae vocabatur doctrinam debebat scholiasta Apollodori *περὶ θεῶν* operi. Eadem autem *Ταυροπόλος* in arce Atheniensium nomine Brauroniae colebatur[1]), cui caerimoniam agebant Brauroniorum. Huius mentionem faciunt mulieres in v. 645, ibique scholiastes unam ex fabulis de origine huius cultus nobis tradidit. Dividitur autem scholium in partes has:

I. *ἄρκτον μιμούμεναι τὸ μυστήριον ἐξετέλουν. αἱ ἀρκτευόμεναι δὲ τῇ θεῷ κροκωτὸν ἠμφιέννυντο καὶ συνετέλουν τὴν θυσίαν τῇ Βραυρωνίᾳ Ἀρτέμιδι καὶ τῇ Μουνυχίᾳ, ἐπιλεγόμεναι ⟨ἄρκτοι⟩, παρθένοι οὔτε πρεσβύτεραι δέκα ἐτῶν οὔτε ἐλάττους πέντε. ἐπετέλουν δὲ τὴν θυσίαν αἱ κόραι ἐκμειλισσόμεναι τὴν θεόν, ἐπειδὴ λιμῷ περιεπεττώκασιν οἱ Ἀθηναῖοι, ἄρκτον ἡμέραν ἀνῃρηκότες τῇ θεᾷ.*

II. *οἱ δὲ τὰ περὶ τὴν Ἰφιγένειαν ἐν Βραυρῶνί φασιν, οὐκ ἐν Αὐλίδι. Εὐφορίων „Ἀγχίαλον Βραυρῶνα κενήριον Ἰφιγενείας“. δοκεῖ δὲ Ἀγαμέμνων σφαγιάσαι τὴν Ἰφιγένειαν ἐν Βραυρῶνι, οὐκ ἐν Αὐλίδι, καὶ ἄρκτον ἀντ' αὐτῆς οὐκ ἔλαφον δοθῆναι. ὅθεν μυστήριον ἄγουσιν αὐτῇ.*

III. *Ἄλλως. ἄρκτος τις ἐδόθη εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀρτέμιδος καὶ ἡμερώθη. ποτὲ οὖν μία τις παρθένος ἔπαιξε πρὸς αὐτὴν καὶ ἐξύστη*

[1]) cf. Preller-Robert, Griech. Mythol. I p. 314.

ἡ ὄψις αὐτῆς ὑπὸ τῆς ἄρκτου. καὶ λυπηθεὶς ὁ ἀδελφὸς αὐτῆς ἀνεῖλε τὴν ἄρκτον. ἡ δὲ Ἄρτεμις ὀργισθεῖσα ἐκέλευσε πᾶσαν παρθένον μιμήσασθαι τὴν ἄρκτον πρὸ τοῦ γάμου, καὶ περιέπειν τὸ ἱερὸν κροκωτὸν ἱμάτιον φοροῦσαν, καὶ τοῦτο ἀρκτεύεσθαι ἐλέγετο.

IV. οἱ δὲ καὶ λοιμώδη νόσον. τοῖς Ἀθηναίοις ἐμπεσεῖν. καὶ ὁ θεὸς εἶπεν λύσιν τῶν κακῶν ἔσεσθαι, ἐὰν τῆς τελευτησάσης ἄρκτου ποινὰς ἀρκτεύειν τὰς ἑαυτῶν παρθένους ἀναγκάσωσι. δηλωθέντος δὲ τοῦ χρησμοῦ τοῖς Ἀθηναίοις ἐψηφίσαντο μὴ πρότερον συνεκίζεσθαι ἀνδρὶ παρθένον, εἰ μὴ ἀρκτεύσειεν τῇ θεῷ.

Harum partium in quarta narratur, qua de causa irata Artemis Atheniensibus immiserit pestilentiam, cuius in prima parte mentio fit (mutantur λιμὸς et λοιμός, ut saepius fit); itaque duae hae partes coniunctae unam componunt fabulam. A qua pars tertia differt in eo, quod aliter narrat, quomodo ursa interfecta sit. Hanc varietatem sublatam et has tres partes permixtas invenit Suidas, qui ex suo Aristophanis exemplari exscripsit haec:

ἄρκτος ἢ Βραυρωνίοις: ἀρκτευόμεναι γυναῖκες τῇ Ἀρτέμιδι ἑορτὴν ἐτέλουν, κροκωτὸν ἡμφιεσμέναι, οὔτε πρεσβύτεραι ι' ἐτῶν οὔτε ἐλάττους ε', ἀπομειλισσόμεναι τὴν θεόν, ἐπειδὴ ἄρκτος ἀγρία ἐπιφοιτῶσα διέτριβεν ἐν τῷ δήμῳ Φιλαϊδῶν· καὶ ἡμερωθεῖσαν αὐτὴν τοῖς ἀνθρώποις σύντροφον γενέσθαι, παρθένον δέ τινα προσπαίζειν αὐτῇ, καὶ ἀσελγαινούσης τῆς παιδίσκης παροξυνθῆναι τὴν ἄρκτον καὶ καταξέσαι τῆς παρθένου· ἐφ' ᾧ ὀργισθέντας τοὺς ἀδελφοὺς αὐτῆς κατακοντίσαι τὴν ἄρκτον, καὶ διὰ τοῦτο λοιμώδη νόσον τοῖς Ἀθηναίοις ἐμπεσεῖν. χρηστηριαζομένοις δὲ αὐτοῖς ⟨ὁ θεὸς addidi e schol. Lys.⟩ εἶπε λύσιν τῶν κακῶν ἔσεσθαι, εἰ τῆς τελευτησάσης ἄρκτου ποινὰς ἀρκτεύειν τὰς ἑαυτῶν παρθένους ἀναγκάσουσι. καὶ ἐψηφίσαντο οἱ Ἀθηναῖοι μὴ πρότερον συνοικίζεσθαι ἀνδρὶ παρθένον, εἰ μὴ ἀρκτεύσειε τῇ θεῷ.

Denique pars altera scholii prorsus aliter atque ceterae explicat, ἀρκτεύεσθαι inde ortum esse, quod Diana in locum Iphigeniae sacrificandae posuerit ursam. Atque quantum novi scholiastarum modum, haec ex eodem atque partes I, III, IV exscripta sunt auctore, qui multa industria et doctrina de cultibus agebat Atticis. De quo quaerentibus ultro se offert *Apollodorus*, quem iam ad v. 447 scholiasta ut explicaret quid Ταυροπόλος sit exscripserat. Dianam Brauroniam etiam sub nomine Ταυροπόλου in arce cultam

esse supra diximus. Iam accedit, quod ex E° M° comperimus, Apollodoro fabulam de ursa in locum Iphigeniae posita ex Phanodemi Atthide notam fuisse, quamquam incertum est, an Apollodorus hanc de origine mysterii fabulam Phanodemo debuerit[1]).

Schol. 439: *νὴ τὴν Πάνδροσον: θυγατέρες Κέκροπος Πάνδροσος καὶ Ἄγραυλος καὶ Ἕρση. ἐκ τῆς Πανδρόσου δὲ καὶ ἡ Ἀθηνᾶ Πάνδρόσος καλεῖται.*

Agitur de Minerva *Πανδρόσῳ*, quo cognomine ab Atticis solis colebatur; et quantum scio, per omnes litteras Graecas nil nisi uno hoc Lysistratae loco cognomen usurpatur. Tamen Minervae nomina Cecropis filiarum indere Atheniensibus omnino inusitatum non

---

[1]) Ut Harpocratio (s. v. *ἀρκτεῦσαι*: . . . . . *τὸ καθιερωθῆναι πρὸ γάμων τὰς παρθένους τῇ Ἀρτέμιδι τῇ Μουνυχίᾳ ἢ τῇ Βραυρωνίᾳ. τὰ δὲ συντείνοντα εἰς τὸ προκείμενον εὕρηται παρά τε ἄλλοις καὶ Κρατέρῳ ἐν τοῖς ψηφίσμασιν. ὅτι δὲ αἱ ἀρκτευόμεναι παρθένοι ἄρκτοι καλοῦνται, Εὐριπίδης Ὑψιπύλῃ, Ἀριστοφάνης Ληναίαις καὶ Λυσιστράτῃ*) docet, Craterus (*κρατίνῳ* codd; cf. St. B. ed. Meineke, epim. I.) in inscriptionum corpore habebat decretum illud quod de *ἀρκτεῦσαι* Athenienses fecerunt. Macedo certe non omisit, de origine mysterii verba facere. At de hoc auctore cogitari vetat Euphorionis versus laudatus.

Aliam deinde fabulam tradidit Bekkeri lexicographus (an. Gr. 444) s. v. *ἀρκτεῦσαι . . . . Λυσίας τὸ καθιερωθῆναι πρὸ γάμων τὰς παρθένους τῇ Ἀρτέμιδι ἀρκτεύειν ἔλεγε. καὶ γὰρ αἱ ἀρκτευόμεναι παρθένοι ἄρκτοι καλοῦνται, ὡς Εὐριπίδης. καὶ Ἀριστοφάνης. καὶ ἄλλως ἀρκτεῦσαι λέγεται τὸ ὥσπερ ἄρκτον ἀφοσιώσασθαι τῇ Ἀρτέμιδι καὶ θῦσαι. ἐρρήθη δὲ ἐκ τοῦ ἄρκτον ποτὲ φανῆναι, ὡς λόγος, ἐν Πειραιεῖ καὶ πολλοὺς ἀδικεῖν, εἶτα ὑπὸ νέων τινῶν αὐτὴν ἀναιρεθῆναι, καὶ λοιμὸν ἐπιγενέσθαι χρῆσαι τε τὸν θεὸν τιμᾶν τὴν Ἄρτεμιν καὶ θῦσαι κόρην τῇ ἄρκτῳ. τῶν οὖν Ἀθηναίων πράττειν τὸν χρησμὸν μελετώντων, εἷς τις ἀνὴρ οὐκ εἴα, αὐτὸς εἰπὼν καταθύσειν. ἔχων οὖν αἶγα καὶ ὀνομάζων ταύτην θυγατέρα, ἔθυσε λάθρᾳ· καὶ ἐπαύσατο τὸ πάθος· εἶτα τῶν πολιτῶν διαπιστούντων, ἔφη ὁ ἀνὴρ ἐπερωτᾶν τὸν θεόν. τὸν δὲ ἂν εἰπόντα θῦσαι καὶ τὸ λοιπὸν οὕτως ποιεῖν φήσαντος, ἐξεῖπε τὸ λάθρᾳ γεγονός. καὶ ἀπὸ τούτου αἱ κόραι πρὸ τοῦ γάμου ἀρκτεύειν οὐκ ὤκνουν, ὥσπερ ἀφοσιούμεναι τὰ τῆς θηρίας.* Hanc autem fabulam Munychiam pertinere, non Brauronem, me monuit Wilamowitz. Eadem commemoratur a Suida s. v. *ἐμβαρός εἰμι*, Zenobio (Ath. I, 4), Eustathio p. 732 (ex Pausaniae lexico). Inter quos quae ratio sit, statuit Wilamowitz hoc stemmate:



fuisse, permulti extant testes[1]). Rursus autem de Attico cultu sermo est; cumque paulo post (447) scholiasta de rebus Atticis consuluerit Apollodorum, eundem eum ad componendum scholium 439 exscripsisse inverisimile non est.

Inter duo haec scholia medium est 443: *νὴ τὴν Φωσφόρον: οὕτω τὴν Ἄρτεμιν ἐκάλουν, ἐπεὶ δᾳδοῦχος. ἢ αὐτὴ γὰρ τῇ Ἑκάτῃ. — ἢ ἐπὶ καὶ τῇ σελήνῃ ἡ αὐτή.* Fortasse etiam hoc ex Apollodoro originem ducit, cum de cultu Attico agat. Nam colitur in propylaeis *Ἑκάτη*, non Diana[2]); ibi autem chorus per *Φωσφόρον* iurat[3]).

Certiora proferimus de scholiis 388 et 588. Cum illo conferas schol. Av. 874:

schol. Av. 874:

Σαβαζίῳ: τίς δέ ἐστιν οὗτος ὁ θεός, ὁ Ἡρακλεώτης περὶ Ἡρακλείας ἐν τῷ β' φησὶν οὕτως „φαίνεται γὰρ ἐξ ὧν εὑρίσκομεν συλλογιζόμενοι πολλαχόθεν ὅτι Διόνυσος καὶ Σαβάζιος εἷς ἐστι θεός, τυχεῖν δὲ τῆς προσηγορίας ταύτης παρὰ τὸν γινόμενον περὶ αὐτὸν θεασμόν. τὸ γὰρ εὐάζειν οἱ βάρβαροι σαβάζειν φασίν. ὅθεν καὶ τῶν Ἑλλήνων τινὲς ἀκολουθοῦντες τὸν εὐασμὸν σαβασμὸν λέγουσιν".

schol. Lys. 388:

Σαβάζιοι: οἱ ὀργιασμοὶ τοῦ Σαβαζίου, ὃν οἱ μὲν τὸν αὐτὸν τῷ Διονύσῳ ὑπειλήφασι· τυχεῖν δὲ τῆς προσηγορίας ταύτης διὰ τὸν γινόμενον περὶ αὐτὸν εὐασμόν. τὸ γὰρ εὐάζειν οἱ βάρβαροι σαβάζειν ἔλεγον.

cf. etiam schol. Vesp. 9.

Corrige in scholio Av. *εὐασμὸν* pro *θειασμόν*. Scholium Av. excerptum est, id quod Duebnerus vidit, ex *Nymphidis περὶ Ἡρακλείας* libro secundo, unde etiam manavit doctrina in scholio nostro. At ex more scholiastarum ratiocinandum est[4]), eam non ex ipso Nymphidis opere raro a grammaticis laudato scholiastam nobis servasse. Immo cogitari necesse est de locupletiore aliquo a scholiasta exscripto opere, cuius auctor ex Nymphidis libro illud exscripserat. Hoc autem ad inveniendum facit schol. Lys. 558:

Κορύβαντες: ἔνιοι τοὺς Κουρήτας καὶ τοὺς Κορύβαντας τοὺς αὐτοὺς ὑπειλήφασιν. ἦσαν δὲ Διὸς τροφεῖς οὗτοι καὶ φύλακες.

---

[1]) cf. Preller-Robert. p. 200 adn. 2.

[2]) cf. Wilamowitz. in Herma XVIII 259.

[3]) Iurare eum per deos vicinos me monuit Wilamowitz.

[4]) hoc Wilamowitz me monuit.

τινὲς δὲ αὐτοὺς δέκα φασί, ἄλλοι δὲ ἐννέα· ἦσαν δὲ τῆς Ῥέας ὀπαδοί.

Iterum hic comparandum est schol. Vesp. 9: ἐκ Σαβαζίου: — κορυβαντιᾶν τὸ κορύβασι κατέχεσθαι. τελετὴ δέ τις ἦν τῶν Κορυβάντων. ἔνιοι δὲ ὅτι ἀπὸ τῶν δακρύων τοῦ Διὸς ἐγένοντο. πάντες ὁμολογοῦσι τῆς Ῥέας μὲν ὀπαδοὺς αὐτοὺς γεγονέναι, φύλακας δὲ τοῦ Διός. R. Σαβάζιον δὲ τὸν Διόνυσον οἱ Θρᾷκες καλοῦσι, καὶ Σαβοὺς τοὺς ἱεροὺς αὐτῶν. παίζει δὲ, ὡσεὶ ἔλεγε, βάρβαρός τις καὶ σκληρὸς ὕπνος. βουκολεῖς δὲ τρέφεις[1]).

Vides tria haec scholia arte cohaerere et ad communem fontem reducenda esse. Eadem autem, quae hic de Corybantibus Curetibusque comperimus, extabant in Demetrii Scepsii libro inscripto ‚Τρωϊκὸς διάκοσμος'. cf. Strab. pp. 715 A, 718 A, 719, 721, init. cap. 20. Demetrius Scepsius in scholiis in Aristophanem conscriptis nusquam laudatur. Demonstravit autem Niesius (Mus. Rhen. XXXII 267 sqq.), illius Τρωϊκῷ διακόσμῳ usum esse *Apollodorum* in καταλόγῳ νεῶν, quem Strabo per totos libros VIII—X usurpaverit. Hunc igitur ad tria illa scholia componenda excerpserunt grammatici.

De cognominibus deorum agunt etiam scholia 2, 403, 1281, 1300, quorum de fontibus nil certi enucleavi.

Quod attinet ad scholium 2 (Κωλιάδος Ἀφροδίτης ἱερόν ἐστι ἐν τῇ Ἀττικῇ. ὁ δὲ τόπος καλεῖται Κωλιάς· ἔστι γὰρ ἐκκείμενος ⟨καὶ⟩ ὅμοιος ἀνθρώπου κώλῳ· καὶ οἱ ἐνοικοῦντες κώλιοι. ἔνθα ὄστρακα κάλλιστα. καὶ ἡ Γενετυλλὶς δὲ γυναικεία θεὸς περὶ τὴν Ἀφροδίτην ἀπὸ τῆς γενέσεως τῶν παίδων ὠνομασμένη), fieri potest ut sumptum sit ex opere geographico locuplete, in quo satis diligenter res Atticae erant descriptae; tum ex libro mythographico deorum cognomina quid sibi velint atque unde orta sint accurate tractante. Cumque circumspiciamus, perducimur primum ad Eratosthenem et Atthidographos Istrumque, deinde ad Apollodori libros περὶ θεῶν. Stephanus autem Byzantius s. v. Κωλιὰς eadem atque schol. praebet; et quantum hunc novi, non scholium nostrum, sed eundem atque scholiasta exscripsit auctorem; quem cum de rebus Atticis perscrutarer, inveni cum alios tum Apollodorum, Philochorum Androtionemque tamquam fontes allatos. E quibus

[1]) verba Σαβάζιον — fin. desunt in R.

cui scholium tribuam nescio, sed de his tantum atque Eratosthene cogitari posse mihi persuasi. At de hac re iudicabit is, qui quaestiones de fontibus Stephani persolverit. Idem dicendum est de scholio 1281, quocum St. B. s. v. *Δίδυμα* congruit.

De Diana, quae cognomen habuerit *χαλκιοίκου* (1300), quantum scio, nil comperimus; videtur igitur scholiasta errasse.

IV.

Pauca dicenda sunt de scholiis eis, quae de personis quos poeta cavillatur, referunt. Viam autem praemunivit E. Maassius (Philolog. Unters. III p. 130 sqq.), quem prorsus sequendum esse censeo, videri compluria talium scholiorum ex ampliore *περὶ ὁμωνύμων* opere excerpta esse, id quod maxime intellegitur ex scholio Pac. 928, ubi in universum de homonymis verba fiunt. Illius autem libri de auctore quaestio ampliori reservanda est commentationi. Dicendum tantum est ex scholl. Lysistrateis Maassium recte tribuisse illi operi haec:

679. *Ποικίλη στοὰ Ἀθήνησιν οὕτω λεγομένη διὰ τὴν ἐνοῦσαν γραφήν, ἔνθα πεποίηκεν ὁ Μίκων τῶν Ἀμαζόνων τὴν μάχην. ἦν δὲ Φανομάχου υἱὸς Ἀθηναῖος. ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Μίκων, εἰς πενίαν κωμῳδούμενος.*

Sed tunc minus verisimilia mihi videntur esse ea quae Strecker (de Lycophrone, Euphronio, Eratosthene comicorum interpretibus, Gryphisw. 1884, pp. 13 et 72) coniecit. Is enim scholii auctorem putat esse Eratosthenem, cuius *περὶ κωμῳδίας* liber octavus tractationem de Lysistrata continuerit. Namque is, qui *περὶ ὁμωνύμων* scripsit, certe non omisit commemorare picturam illam Miconis alterius nobilissimam. Neque vero persuadere mihi possum, tantum posteriorem scholii partem (*ἦν δὲ Φανομάχου υἱὸς* sqq.) desumptam esse ex incerti illius opere, priorem autem ex Eratosthene.

Deinde scholia 490 et 801. Hoc quod ad Ecclesiazusas (v. 303, quo uno fabulae loco Myronidis nomen adfertur) pertinet, non iam servatur.

Denique scholia de Theagene (62) Eucrate (103) Phormione (804), ut ex Maassii indice (p. 130) apparet.

Scimus autem catalogos extitisse personarum in comoediis illusorum, qualis fuit Herodici Cratetei liber *περὶ κωμῳδουμένων*. Ex tali etiam scholia nostra exscripta sunt. Videtur autem auctor eius solum ex comoediis, non vero e rerum scriptoribus hausisse. Exempli gratia inspice de Clisthene scholia Ach. 118, Equ. 1374, Nub. 355, Vesp. 1187, Av. 831, Thesm. 235 etc.; quos locos cum contuleris cum Aristophanis, videbis nil in scholiis de viro illo effeminato enumerari, quod non poeta ipse luserit.

Confirmant autem opinionem nostram scholia Lysistratea haec:

621. Mulieres in domum Clisthenis convenire narrantur: idem poeta dicit v. 1092. Nomen patris sumpsit ex Ach. 118.

103. Haec de Eucrate unde fluxerint, ex voce *κωμῳδεῖται* patet.

270. Rhodiae nomen Aristophanes non attulit; attulerunt autem certe cum alii comici, tum Eupolis *ἐν Φίλοις* (cf. schol. Plat. p. 332 Bk. fr. 273 Kock.).

397. Demostratum e gente Buzygum ortum esse, Eupolis loco demonstratur.

838. Cinesiae dithyrambi saepissime ab Aristophane illuduntur.

V.

1. DE SCHOLIO 549.

Ἀκαλήφας δὲ λέγουσι μὲν καὶ τὰς θαλασσίας, λέγουσι δὲ καὶ τὰς ⟨χερσαίας⟩ κνίδας Ἀττικοί. καὶ κνίδη μὲν ὅσον ἁπαλή ἐστιν, ἐπὰν δὲ σχῇ τὰς μητέρας, τουτέστι τὰς τοῦ σπέρματος σφαίρας, ἀκαλήφη λέγεται. ἀκαλήφας οὖν τὰς γραίας ἐκάλεσεν, ἐπειδὴ στερραὶ ἦσαν καὶ δριμεῖαι. καὶ γὰρ τὸ φυτάριον δάκνει. ἐπεὶ οὖν εἶπε τηθῶν, εἶπε μητριδίων. μητριδίας δὲ λέγουσι τὰς ἐχούσας τὸ σπέρμα τῆς βοτάνης τῆς ἀκαλήφης· δάκνουσι δὲ αὗται.

Eadem de urtica agitur in schol. Vesp. 884, unde de auctore nil comperimus. Deinde in schol. Equ. 422 Aristotelis historia animalium (IV 5) adfertur, quem librum qui inspexerit, ex Aristotele notitiam illam non fluxisse videbit. Neque ex iis quos in editione

attuli lexicographis scholiastisque auxilium peti potest, praeter lexic. Seguerianum (Bk. 370), unde hausit Suidas s. v. *ἀκαλήφη: κνίδη, καὶ ἡ χερσαία καὶ ἡ θαλαττία. . . . . τὰς δὲ θαλαττίας καὶ Ἀριστοτέλης ἀκαλήφας ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ζώων καὶ Θεόφραστος ἐν ἑβδόμῳ φυτῶν.*

De Aristotele locuti sumus; restat Theophrastus. Hunc comperimus in libro septimo *Φυτικῶν*, i. e. *περὶ φυτῶν ἱστοριῶν* commemorasse *ἀκαλήφην θαλασσίαν*, urticam marinam; at librum illum si evolveris, urticae omnino vix fieri mentionem invenies, nedum generis marinarum; atque hic Suidae locus tribuendus est numero permultorum eorum cum Suidae, tum Athenaei (qui II 62 E, III 90 A de eadem loquitur urtica), tum aliorum, qui in Theophrasto quem nos tenemus non iam leguntur atque docent, temporibus scholiastarum alteram Theophrasti exstitisse recensionem et eam multo locupletiorem nostra.

Ex locupletissimo autem libro, in quo diligenter atque acute agebatur de natura generibusque plantarum, exscripta sunt ea, quae in schol. Lys. de *κνίδῃ*, *ἀκαλήφῃ*, *μητριδίᾳ* legimus. An lexicographi esse censeas? Immo hominis sunt, qui perscrutandis plantis summam dabat operam; alium autem, de quo scholiasta illa sumpserit, nescio nisi Theophrastum. Cuius de plantis opera ab Aristophanis commentatoribus omnino adhibita esse apparet e scholl. Ran. 244, Pac. 168, 199, aliis. Confirmatur autem coniectura nostra eo quod etiam schol. Plut. 720 vir ille Aristotelicus citatur, quem locum in nostris non iam legis editionibus.

